

DISPUTATIO XXIV.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

Inter eos, quibus baptismus conferri potest, quidam sunt adulti, qui ratione uti possunt, alii infantes; suppono enim ex dictis supra de Sacramentis in genere, solos viatores homines esse capaces baptismi; quoniam ergo de infantibus difficilior est et prolixior disputatio, ideo hic breviter dicemus de adultis. De quibus suppono, omnes, qui baptizati non sunt, absolute loquendo, esse capaces baptismi, quantum est ex parte ipsarum personarum, nam de omnibus generatim dixit Christus: *Prædictate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* Marci ult., sicut enim omnes homines sunt capaces Evangelicæ prædicationis, ac fidei, ita etiam baptismi; et ideo Matth. ult. generatim etiam dictum est: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos;* sicut enim omnes ex Adamo generati sunt, ita et in Christo regenerari possunt; quæ regeneratio in lege nova, non nisi per baptismum fit, juxta illud Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Superest ergo, ut videamus, quid praeter hanc capacitatem (quam personalem seu remotam appellare possumus) requiratur ex parte baptizati, ut baptismus adulto collatus verum sit sacramentum; et obiter etiam attingemus, quid etiam necessarium sit, ut digne suscipiantur et conferatur.

SECTIO I.

Utrum necessarius sit voluntarius consensus hominis adulti, ut baptizetur.

1. Error. — *Rejicitur dictus error.* — Posset imprimis hoc loco tractari antiquus error eorum, qui dixerunt, non solum non requiri proprium consensum, verum etiam, neque corporalem vitam aut unionem animæ cum corpore mortali, ut possit homo rite ac valide baptizari; ita refert Theophyl., 1 ad Cor. 15, circa illa verba: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* dicens, Apostolum ibi alludere ad quorundam errorem, qui asserebant, posse hominem post mortem baptizari, aliquo ex vivis pro illo respondente et consentiente. Quem errorem referunt etiam ibi Chrysost. et Ambrosius, et Tertullianus, lib. 5 de Resurr.

carnis, c. 8, et lib. 5 contra Marcion., c. 10, et Epiphanius, haeres. 28. Quamvis hi autores videantur hunc errorem explicare, scilicet, posse hominem vivum in se baptismum suscipere, loco hominis mortui, et eo animo, et intentione, ut alteri prosit, et hoc satis esse, ut alter vere maneat baptizatus. Sed, quod ad locum Pauli pertinet, probabilius existimo, eum ibi nullam facere mentionem hujus erroris, ut latius tractavi supra, tom. 2 hujus 3 partis, disput. 50, sect. 1, ubi de vero sensu hujus loci late disserui. Quod vero ad ipsum errorem attinet, uterque illius sensus aperte est hereticus, quia constat solos homines viatores esse capaces sacramentorum, ut supra de sacramentis in genere dictum est; et de baptismi in specie probari potest ex citatis locis in cap. hujus disputationis, nam Christus de solis hominibus vivis, et in hac vita degentibus dixit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* et: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Et similiter unicuique dixit, esse necessarium, ut ipsem renascatur et baptizetur; non vero, quod unus pro alio baptizari possit. Denique certum principium fidei est, solum praesentis vitæ tempus esse omnibus hominibus destinatum, ut in eo possint gratiam, et peccati remissionem consequi.

2. Alia catholicorum sententia. — *Rejicitur.* — Secundo tractari posset quorundam catholicorum sententia, qui dixerunt, ad valorem baptismi adultorum, non requiri consensum, seu intentionem eorum. Qui etiam bipartiti sunt; nam quidam dixerunt satis esse, ut non dissentiant, quamvis non consentiant, sed neutro modo se habeant. Alii vero addiderunt, etiamsi dissentiant, et voluntate sua repugnant, dummodo exterius eis applicetur materia et forma baptismi, verum fieri sacramentum. Sed, quia contra hanc sententiam late disputavimus supra agentes de sacramentis in genere, et in baptismo nihil speciale occurrit, quod ibi tractatum non sit, eadem repetere non erit necessarium.

3. Alia sententia priori ex diametro opposita. — *Rejicitur.* — Tertia sententia in alio extremo esse potest, ad valorem baptismi non solum requiri consensum hominis baptizati, sed etiam oportere illum esse omnino spontaneum, nulla vi aut necessitate extortum, atque ita nec simpliciter, nec secundum quid involuntarium. Ita videntur sensisse quidam, quos Cypr., ep. 66, post medium, alias libr. 4, epist. 12, refert dixisse, eos, qui

DISPUTAT. XXIV, SECT. I.

409

toto tempore vitæ baptizari nolunt, si in mortis articulo ipsis etiam petentibus baptizentur, baptismum esse invalidum, quia jam non tam voluntate, quam necessitate baptizari videntur. Hi autem heretici multo majori ratione asseruissent, si quis baptizetur ob timorem violentiae, mortis, vel ex ilii, aut alterius similiis pœnæ, non manere baptizatum, etiamsi interius baptizari velit, quia ille baptismus non est plene voluntarius.

4. Conclusio prima. — Dicendum vero est primo, in adultis, ut baptismus sit validus, necessarium esse voluntarium consensum et intentionem suscipiendo baptismum. Hæc conclusio est communis Theologorum, quos supra retuli disp. 44, sect. 2, et sumitur ex Augustino, lib. 4 de Baptis., c. 24, et Innocent. IV, in c. Majores, de Baptismo, et in citato loco generaliter de sacramentis probata est. Neque oportet distinguere de hujusmodi homine adulto, si solum habet originale peccatum, vel jam mortaliter peccavit, nihil enim hoc ad praesens refert. Nam quomodo cumque se habeat, necessaria in illo est hæc intentio, quia hæc non requiritur propter impedimentum hujus vel illius peccati; sed quia jam homo est dominus suorum actuum, et ideo sine proprio consensu, nec spiritualiter regenerari potest, nec membrum Christi aut Ecclesiae fieri.

5. Secunda conclusio. — *Dupliciter accedit homini baptizari cum virtuali voluntate.* — Secundo addendum est, non oportere, ut hæc voluntas seu consensus sit actualis; sed satis esse, quod aliquando praecesset, et moraliter duret, nec retractata sit. Res est communis, et certa, et prædicto etiam loco de sacramentis in genere insinuata, et sumitur ex Concil. Carthagin. 3, can. 34; et Arausican. 1, can. 42, et ex dicto c. Majores; et Augustino, lib. 4 de Adulter. conjug., c. 26. Ratio vero est, quia hujusmodi voluntas sufficit, ut talis baptismus censeatur voluntarius. Ut vero hoc magis expicitur, advertendum est, duobus modis posse contingere hominem baptizari cum hac sola morali seu virtuali voluntate ex præcedenti actuali voluntate reicta. Primo, ut cum baptizatur, ratione uti possit, et sciens et videns baptizetur, et non resistat, quamvis actu non consentiat, et tunc baptismus sine dubio est validus, et quoad forum Ecclesiae semper talis judicatur, quia illa permissione et non repugnantia exterior est sufficiens indicium interioris consensus; imo videtur esse quedam virtualis voluntas; tamen reipsa et coram Deo necesse est, ut positivus consensus saltem aliquando praecesset et retractatus non sit; quoniam sola illa non resistentia et carentia contrarie voluntatis non satis est, ut actu sit voluntarius, sed solum ut sit permisus, vel neuter, seu nec voluntarius, nec involuntarius, quod non satis est ad valorem baptismi, ut dictum est. Secundo modo contingere potest, ut is, qui baptizatur, quamvis adultus sit, et aliquando ratione usus fuerit, tamen, dum baptizatur, illa non utatur, vel ex impotencia habituali, ut quia est amens, vel phreneticus, vel actuali, ut si sit dormiens, vel omnino distractus et non considerans quid circa ipsum fiat. Et in his omnibus casibus, reipsa necessaria est, et sufficit positiva voluntas præterita non retractata, ut constat ex his, que D. Thomas tradit infra art. 12, et ex Augustino citatis locis, et 4 Confess., c. 4, ubi de quodam amico suo refert, salvum factum esse per baptismum, quem in phrenesi absque ullo sensu recepit. Et ratio cur hæc voluntas requiratur, saepe repetita est, scilicet, ut susceptio baptismi sit aliquo modo humana, et voluntaria. Ratio vero, ob quam sufficit, est, quia in hujusmodi eventibus moraliter manet homo in ea dispositione voluntatis, in qua reperitur; propter quam causam non solum ad valorem sacramenti, sed etiam ad effectum potest sufficere talis voluntas, si cum sufficienti attritione conjuncta fuerit, ut dicemus latius inferius, agentes de penitentia. Quod vero spectat ad Ecclesias forum, necessarium est in his eventibus, ut de priori voluntate data sint sufficientia indicia, de quibus constet saltem aliquo fidei testimonio; nam oportet ut illa voluntas aliquo modo Ecclesiae constet. Imo addendum est, quamvis hoc sufficiat, ut valide sacramentum ministretur, tamen, ut digne et sine peccato fiat, oportere, ut aliqua necessitas cogat ad baptizandum hominem in eo statu; ut, verbi gratia, si homo sit in probabili periculo mortis, vel impedimentum usus rationis censeatur perpetuum; nam extra hos casus expectanda est ea dispositio, seu aptitudo hominis adulti, in qua possit sciens et videns sacramentum accipere, tum propter majorem certitudinem, tum propter maiorem fructum et reverentiam sacramenti. Quando vero necessitate cogente opportunius tempus expectari non potest, si sufficientia indicia præteritæ voluntatis data sint, poterit valide et digne baptismus conferri. Et quamvis ad hoc posterius, id est, ad

dignam administrationem, præter indicia consensus, necessaria etiam sint aliqua pœnitentiae signa, tamen si constet aliquem ostendisse voluntatem suscipiendi baptismum, et non constet in virtuali complacentia peccati mortalis incidisse in phrenesin, vel amenantiam, præsumenda est hujusmodi dispositio, et ipsum desiderium baptismi Ecclesiæ manifestatum reputabatur sufficiens etiam signum attritionis, seu bonæ dispositionis, ut digne possit dari sacramentum in articulo necessitatibus.

6. *Tertia conclusio.* — *Cyprianus.* — Dico tertio: ut sacramentum hoc validum sit, sufficit consensus voluntarius simpliciter, quantumvis sit involuntarius secundum quid, id est, vi aut metu extortus. Conclusio est certa et de fide; et quidem, si metus sit ab intrinseco, seu absque ulla injuria, vel actione humana incussus, res est manifesta, ut Cyprianus docet, contra ultimum errorem paulo antea citatum, quia etiam pœnitentia in articulo mortis ex metu concepta potest esse vera pœnitentia, et sufficiens ad salutem; alias omnes, qui pœnitentiam differant usque ad finem vitæ, essent extra statum salutis, quod est hæreticum, ut latius dicemus in materia de pœnitentia. Et confirmatur, nam votum factum ex hujusmodi metu ab intrinseco proveniente est validum, quia est voluntarium simpliciter, licet sit involuntarium secundum quid; ergo similiter baptismus. At vero si metus sit extrinseca vi, et præsertim si sit per injuriam illatus, non videtur res adeo clara, quia interdum contingit, ut hujusmodi involuntarium irritet contractum, vel effectum hujusmodi voluntatis, ut constat in matrimonio et in voto. Nihilominus tamen etiam quoad hanc partem est conclusio definita ab Innocent. IV, in c. Majores, de Baptismo, et prius tradita fuerat in Concilio Toletan. 4, c. 56, prout habetur in c. de Judeis, 45 dist. Et ratio est, quia ille consensus est simpliciter et absolute consensus voluntarius; ergo sufficit ad valorem baptismi; et ideo talis baptismus censemur in prædictis Decretis imprimere characterem indelebilem, ratione cuius, qui sic baptizatus est, subditus manet jurisdictioni Ecclesiæ, et cogi potest ad servandam fidem.

7. Declaratur hæc ratio. Nam si consensus sic voluntarius non sufficeret, vel hoc esset ex natura rei, vel ex institutione; non primum, tum quia ex natura rei efficacior est absoluta voluntas, quam displicantia

secundum quid; tum etiam, quia in aliis rebus ad Deum spectantibus, hujusmodi voluntas ex natura rei sufficit; imo in quibuscumque contractibus ex natura rei sufficere potest, nisi fortasse interdum ratione injuriæ illatæ, quando jus acquirendum est ab eo, qui intulit injuriam, ut latius dicetur infra in materia de matrimonio, et tradi etiam solet in materia de voto, et in 4. 2, quæst. 6; quæ ratio in proposito locum non habet, quia Deus et Christus nullam in hoc negotio inferunt injuriam. Secundum etiam, de Christi voluntate dici non potest, cum contrarium constet ex definitione et doctrina Ecclesiæ. Et quamvis non negemus potuisse Christum aliter hoc instituere, tamen hoc certe multo fuit congruentius, ne nomen Domini blasphemetur, et fides semel suscepta, vilis et contemptibilis habeatur, ut dicitur in prædictis Decretis. Et ideo, ut recte notavit Soto hic, d. 4, art. 7, qui non vult Christianus fieri, potius debet quamcumque injuriam sustinere, quam fice baptismo consentire, quia in hoc magnam illi irrogat injuriam. Quod si propter vitandum proprium incommodum, vere vult baptizari sine injuria baptismi, necesse est, ut habeat voluntatem nunquam discedendi a fide, quam in baptismō professus est. Hæc ergo voluntas sufficit, ut baptismus teneat. Neque est simile de matrimonio, quia valor ejus, in ratione sacramenti, fundatur in contractu humano, qui ibi intercedit. Quamvis, tam de illo, quam de voto, adhuc lis sub judece sit, an ex natura rei, vel solum ex Ecclesiæ statuto introductum sit, ut irrita sint, si ex gravi metu fiant, de quo non est hic disputandi locus.

8. *Quarta conclusio.* — *Ratio.* — Ultimo dicendum est, proprium consensum ejus, qui baptizatur, sufficere ad baptismum, absque dependentia ab alio humano consensu. Itaque etiamsi sit filius familias, consensus ejus sufficit, quamvis sit contra voluntatem parentis, vel si sit servus, licet consentiat contra voluntatem domini, vel si sit quicunque alius, qui a quolibet superiori, vel Ecclesiastico pastore, prohibitus sit baptizari. Conclusio est æque certa, ac præcedentes, quia valor sacramenti per se non pendet ex voluntate extrinseca, si ex parte suscipientis et ministri, adhibeantur omnia necessaria, cum debita materia et forma; quod patet in omnibus aliis sacramentis, et maxime in his, que in quadam consecratione consistunt. Deinde est optimæ ratio seu congruentia, quia postquam

aliquis est capax propriæ voluntatis, in his, quæ ad salutem pertinent, est sui juris, et maxime ut subdi possit Deo, ejusque fidem ac religionem suscipere, et ideo in hoc non pendet vel a parente vel a domino; Ecclesia vero, quamvis interdum possit prohibere usum sacramenti propter ejus reverentiam vel aliam justam causam, non potest tamen sua sola prohibitione efficere invalidum sacramentum, si, ea non obstante, omnia necessaria adhibeantur, ut constat ex dictis de sacramentis in genere, in quo nulla hic nova difficultas occurrit.

SECTIO II.

Utrum fides, vel aliqua alia dispositio suscipientis, necessaria sit ex parte ejus ad valorem baptismi.

4. *Hanc sectionem præmitto ante omnes sequentes articulos D. Thomæ, quoniam ex illius resolutione erunt perspicui. Et quamvis quæstio tantum sit proposita de valore, tamen quia res est facilis, simul expediemus ea, quæ ad dignam administrationem pertinent.*

2. *Prima propositio.* — *Objectio.* — *Diluitur.* — *Probatur conclusio a priori.* — Primo ergo sit certum, ad valorem sacramenti, nec fidem, nec bonam aliquam dispositionem in suscipiente requiri. Est certa conclusio et communis omnium, ut in genere tractavi dicta disp. 44, sect. 2. Et colligitur ex d. cap. Majores, de Baptismo, et cap. de Judeis, 45 dist.; nam ille, qui per vim et coactus baptizatur, si baptismō consensit, cognitus dicitur ad servandam fidem, absolute et sine ulla limitatione; ergo, etiamsi cum incredulitate et infidelitate ad baptismum quis accedit, si tamen baptizari vult, characterem recipit et verum sacramentum. Et hoc etiam confirmat praxis Ecclesiæ. Nam quemlibet adultum voluntarie baptizatum cogit ad servandam fidem, etiamsi constet fuisse infidem, vel hæreticum cum baptizatus est; nec permittit illum iterum baptizari. Quod si fidei dispositio necessaria non est, multo minus quælibet alia, quoniam cæterarum omnium primum fundamentum est fides. Quamvis hinc possit etiam argumentum a contrario sumi; nam aliae bonæ dispositiones non requiruntur ad valorem baptismi; ergo nec dispositio fidei; ergo nulla. Probatur prima consequentia, quia sicut aliae dispositiones per se non ordinantur ad effectum sacramenti, sed ad effectum ejus, ita neque fides. Dices: in

hoc videtur magis necessaria fides, quod sine illa non videtur posse haberi vera voluntas baptismi; tum quia, nisi quis credat, in baptismō esse aliquid commodi vel honestatis, non videtur posse illum appetere; et similiter, nisi credat esse sacramentum, non potest illum velle sub ratione sacramenti; tum etiam quia illa voluntas est supernaturalis; ergo supponit fidem, in qua fundetur. Respondeatur, si voluntas baptismi honesta sit, et ex desiderio propriæ salutis spiritualis et divini cultus nascatur, moraliter necessarium esse, ut procedat ex fide, seu credulitate baptismi; non est autem necesse, quod voluntas baptismi sit in se supernaturalis; potest enim ex aliquo motivo humano, vel naturali procedere, et ideo non est necesse, ut fundetur in fide supernaturali, sed in quadam humana credulitate, quam potest habere hæreticus. Interdum vero potest esse voluntas, quæ ad valorem baptismi sufficiat, absque ulla credulitate baptismi, solum sub quadam ratione confusa faciendi vel suscipiendo id, quod Christiani faciunt vel suscipiunt, quidquid illud sit, quam voluntatem potest quis habere, etiamsi privatâ opinione credat, totum id nullius valoris vel momenti esse; ergo ex hoc capite simpliciter loquendo non est magis necessaria fides ad veritatem baptismi, quam sint aliae dispositiones voluntatis; ergo nulla est simpliciter necessaria. Ratio vero a priori hujus conclusionis eadem fere est, quæ in præcedenti sectione tradita est. Nam haec veritas non pendat ex sola rei natura, sed ex institutione, a qua est totum esse sacramenti; constat autem ex usu et traditione Ecclesiæ, hanc fuisse Christi institutionem. Congruentia autem illius est, quia non expedit, ut rei substantia pendeat ex accidentibus extrinsecis et contingentibus, sed ex propriis principiis et causis; quod etiam est necessarium, ut possit certitudine morali constare de illius veritate et valore. Item est naturis rerum consentaneum, ut causa non pendeat a suo effectu, sed e contrario; ergo nec a dispositione, quæ ad effectum ordinatur. Plura de hac materia dixi supra disp. 44, sect. 2.

3. *Secunda propositio.* — Dico secundo, ut alicui digne detur baptismus, præter voluntatem suscipiendi sacramentum necessaria est dispositio conveniens sanctitati sacramenti. Hæc etiam assertio est certa et de fide, ut constat ex principiis generalibus de sacramentis; debent enim sacramenta sancte et religiose tractari; ad hoc autem necesse est,

ut cum debita dispositione suscipiantur; ergo idem necessarium est in baptismo, qui est unum ex præcipuis sacramentis, et ideo Christus Matthæi ultimo dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, quia debet baptismum præcedere doctrina, qua homines ad baptismum disponantur, juxta illud Marci ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit; et illud Actor. 2: Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*. Denique ob hanc causam, in baptismo adulorum præmittitur catechismus, ut infra dicemus.

4. Dubitatio prima. — *Respondetur.* — Sed quæres primo, quænam debeat esse hæc dispositio. Respondetur, eam sufficere et necessariam esse, quæ ad consequendum effectum baptismi fuerit sufficiens ac necessaria. Quia, cum per baptismum detur gratia, si aliquis est recte dispositus ad effectum baptismi consequendum, in instanti, quo receperit baptismum perfectum, recipiet gratiam; ergo cum sufficienti dignitate et sanctitate recipit sacramentum. Item, quia cum hoc sit sacramentum mortuorum, non est ad illud digne suscipiendum præexigenda gratia, ad quam conferendam ipsum est institutum; ergo sufficiet illa dispositio, cum qua sacramentum conferet talem effectum. Quæ autem sit haec dispositio, dicemus inferius disputantes de effectu.

5. Secunda. — *Respondetur.* — Quæres secundo, an hæc dispositio suscipientis requiratur ad dignam tractationem sacramenti ex parte suscipientis, vel etiam ex parte dantis. Respondetur, ex parte utriusque esse necessariam; nam ex natura rei et divino jure uterque tenetur digne tractare id, quod sanctum est; ergo et suscipiens tenetur non uti sacramento nisi debite dispositus, et dans tenetur non dare sanctum canibus. Unde ad hoc obligatur, non solum ministrans solemniter, sed etiam qui privatim baptizat, sive sit sacerdos, sive laicus, sive ex officio, sive ob necessitatem baptizet, quia hæc obligatio non oritur ex officio vel ex modo baptizandi, sed ex ipsius rei natura, et sanctitate sacramenti; eo vel maxime, quod nunquam potest esse necessarium dare baptismum homini indisposito, quia nihil ei prodesse potest, etiamsi sit in extrema necessitate constitutus, nisi ad effectum ejus comparandum se disponat. Quomodo autem de hac dispositione constare debeat, non potest certiori regula præscribi aut declarari, quam quod probabilis quedam et humana fides satis est, ad quam conci-

piendam prudentia est necessaria, pensatis omnibus circumstantiis personæ, temporis, et occurrentis necessitatibus, et opportunitatis, ut D. Thomas in art. 3 et 4, latius declarat. Quæri vero hic posset, an hic habeat locum distinctio de peccatore occulto vel publico petente baptismum. De qua re existimo idem esse ferendum judicium, quod in simili quæstione de sacramento Eucharistiae fieri solet, ut in eo loco latius disputabimus.

ARTICULUS V.

Utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria (sup. quæst. 49, art. 3, ad 2, et infra, art. 6, corp., et 2, dist. 6, quæst. 1, art. 1, quæst. 1, corp., et 3, dist. 19, art. 3, quæst. 1, ad 1, et 4, dist. 6, quæst. 1, art. 4, quæst. 1, corp. Et 4 contra, cap. 58, et Rom. 11, lect. 4, col. 4 et 5).

1. Ad quintum sic proceditur. *Videtur, quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.* Hoc enim ad justitiam Dei pertinere videtur, ut pro quolibet peccato aliquis puniatur, secundum illud Eccles. ult.: *Cuncta quæ sunt, adducet Deus in iudicium.* Sed opera satisfactoria imponuntur peccatoribus in pœnam præteriorum peccatorum. Ergo videtur, quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.

2. Præterea, per opera satisfactoria exercitantur peccatores de novo conversi ad justitiam, et subtrahuntur eis occasiones peccandi; nam satisfacere est peccatorum causas excidere et peccatis aditum non indulgere. Sed hoc maxime est necessarium nuper baptizatis. Ergo videtur, quod baptizatis sint opera satisfactoria injungenda.

3. Præterea, non minus debitum est, ut homo Deo satisfaciat, quam proximo. Sed nuper baptizatis injungendum est, ut satisfaciant proximis, si eos læserint. Ergo etiam est eis injungendum, ut Deo satisfaciant per opera pœnitentiae.

Sed contra est, quod Ambros. super illud Rom. 11: Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei, dicit: Gratia Dei in baptismo non requirit gematum neque planctum, vel etiam opus aliquod, sed solam fidem, et omnia gratis donat.

Respondeo dicendum quod, sicut Apostolus dicit Rom. 6, quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus ei per baptismum in mortem, ita scilicet, quod homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi; manifestum

est autem ex supra dictis (quest. 48 et 49) quod mors Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, non solum nostris, sed etiam totius mundi, ut dicitur 1 Joan. 2. Et ideo ei, qui baptizatur, pro quibuscumque peccatis, non est aliqua satisfactio injungenda; hoc enim esset injuriam facere passioni et morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum.

Ad 1 ergo dicendum, quod sicut August. dicit (l. 4 de Bapt. parvul., seu de Pecc. mer., cap. 26, a med.): Ad hoc baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur, ut membra ejus. Unde ipsa pœna Christi fuit satisfactoria pro peccatis baptizatorum, sicut et pœna unius membra potest esse satisfactoria pro peccato alterius membra. Unde Isai. 53 dicitur: Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Ad 2, dicendum, quod nuper baptizati, exercitandi sunt ad justitiam, non per opera pœnalia, sed per opera facilia, ut quasi quodam lacte facilis exercitii, promoveantur ad perfectiora; ut Glossa dicit super illud Psalm. 130: Sicut ablactatus est super matre sua. Unde et Dominus discipulos suos de novo conversos, a jejunio excusavit, ut patet Matth. 9. Et hoc est, quod dicitur 1 Pet. 2: Sicut modo geniti infantes, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.

Ad 3, dicendum, quod restituere male ablata proximis et satisfacere eis de injuriis illatis, est cessare a peccando, quia hoc ipsum, quod est detinere aliena, et proximum lèsum non placare, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis injungendum est, quod satisfaciant proximis, sicut et quod desistant a peccato; non est autem eis injungendum, quod pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur.

COMMENTARIUS.

1. Conclusio D. Thomæ. — Attente considerandum est in titulo articuli, non tractare D. Thom. de peccatoribus baptizandis, sed de baptizatis, et quæstionem movere de operibus satisfactoriis proprie ac formaliter, id est, quatenus ad satisfaciendum pro peccatis commissis efficiuntur. Eadem enim opera pœnalia, per quæ Deo satisfacimus, possunt ad plures alios effectus esse utilia. Primo, ad corrigendos pravos mores et moderandos affectus. Secundo, ad excitandam animam ad devotionem et dolorem ac contritionem de

peccatis. Tertio, ad impetrandum a Deo ipsammet veram pœnitentiam de peccatis. D. Thomas igitur in articulo solum negat, peccatoribus, qui ad baptismum accidunt, ita esse injungenda hæc opera, ut ad satisfaciendum pro reatu peccatorum fiant, etiam post receptum baptismum, quod est certissimum; quanquam ratio, qua D. Thomas id probat, non videatur convincere; sed enim argumentatur: Per baptismum conceplimur Christo in morte ejus, id est, incorporamur ipsis morti Christi; ergo post baptismum nulla est satisfactio necessaria pro peccatis prius commissis; nam hoc esset injuriam facere passioni et morti Christi, ac si ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum. Quæ ultima probatio non videtur urgens, quia licet satisfactio Christi in se sit sufficientissima, tamen ex defectu hominis, potest ei non plene applicari; ergo nulla fieret injuria morti Christi, si ob hanc causam seu ob timorem alicujus impedimenti ex parte baptizati, ei satisfactoria opera imponantur.

2. Vera ratio ponitur, et D. Thomæ ratio corroboratur et explicatur. — Itaque propria ratio hujus veritatis petenda est ex effectibus hujus sacramenti; nam quia unus effectus illius est, ut non solum remittat culpam, sed etiam omnem pœnam, si non inveniat obicem, ut infra videbimus, ideo per se loquendo nulla est homini baptizato necessaria satisfactio pro peccatis ante baptismum commisis, quia satisfactio solum habet locum, ubi aliquis reatus pœnæ relinquitur; hic vero effectus baptismi primariam originem dicit ex morte Christi, quantum ad sufficientiam; quantum ad efficaciam vero manat ex institutione ejusdem Christi, qua voluit suam satisfactionem per hoc instrumentum plene ac perfecte applicare. Hanc vero institutionem colligit D. Thomas ex significatione ipsius baptismi, per quem profitemur nos commori et consepliri Christo, ut in ipso novam vitam inchoemus, cui significationi consentaneum est, ut omnia priora peccata prorsus aboleantur in sanguine Christi, et ideo concludit fieri injuriam ipsi sanguini Christi, et satisfactioni ejus, si opera satisfactionis requirantur, ac si hoc sacramentum censeatur insufficiens ad hunc effectum prestandum, quod non posset attribui, nisi insufficientæ principalis causæ, seu satisfactionis Christi, quia ipsum sacramentum in se plenam significationem habet; virtutem autem ad faciendum quod signi-